

Q. D. B. V.

EX

PHILOSOPHIA MORALI

De

VOLUPTATE,

*Amplissimo Philosophorum Ordine
benevole annuente*

In illustri Wittebergensi

Ad diem XVI. Februarii 1701.

In Auditorio Collegii veteris

horis antemeridianis

consuetis

publice disputabunt

PRÆSES

M. CHRISTIANUS THEODO-
RUS HABERKORN,


Kirchhayna Lusatia,

Et

JOHANN. GOTTLOB DIETERICUS,

Zad. Misn.

RESPONDENS.



WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI FINCELII.

oll. diss. A
5, 16

70 a. XLV. 16.



Handwritten text in a cursive script, possibly a signature or a date, located at the bottom left of the page. The text is dark and appears to be written in ink.



L. N. J.

§. I.

Quod Galenus olim dedit præceptum: *δεῖ πρώτως ἐξετάσειν τὰ ὀνόματα*, id & nobis in præsentī tractatione observandum, adeoque in Voluptatis significationem nominalem inquirendum erit, quam Scaliger Lib. 7. de re Poët. considerans, à *Volupe & peto* nomen consecutam esse scribit, hinc Subtil. ad Cardanum Exercit. 299. ait: *Latinos, quod omnes voluptatis propensione, tanquam bonum expeterent, voluptatem appellasse.* Esset igitur secundum considerationem Grammaticam, *appetitio rei jucunda ac placentis.* Græcis vocatur ἡδονή, proprie jucunditas & suavitas, à primitivo ἡδύς, suavis jucundus, item lætus, ut apud Plutarchum in Fabio & Camillo; vel uti Platoni placet ab ὄνναι Juvo, profum, utilitatem affero, cujus verba in Cratylo ex translatione Marsilii Ficini pag. 323. Edit. Basil. ita habent: *ἡδονή id est Voluptas, siquidem actionis illius nomen est, quæ ad ὄννω, id est, utilitatem, emolumentumq; tendit, ἡδονή vero adjectivum facit, ut pro eo, quod est ἡδονή, ἡδονή proferatur.* Prior derivatio magis arridet Philologis, quam posterior, utpote quæ ad genium vocis magis adaptata est. An autem græcam vocem ἡδονήν ab Hebræo עֲרֵי, sive cum duplici teste Buxtorffio Lex. Chald. & Ebr., quod voluptatem, oblectationem, delicias, deliciarum locum, Paradisum, significat, ejusque radice עֲרֵי Voluptate affectus est, deducere possimus, alii judicent?

§. II. Solet autem Voluptas non semper nomine proprio compellari, sed multis gaudet denominationibus, quæ quidem proprias suas significationes habent, sæpe tamen promiscue pro Voluptate ipsa accipiuntur, dum vocatur Lætitia, Exultatio, Ju-

A 2

CUR-

eunditas, Gaudium, Delectatio &c. vid. Piccolomineus Philosoph. Moral. grad. 9. cap. 15. Thomas de Aquino l. 2. quæst. 31. Plato in Protagora pag. 239. Meisnerus de Summo Bono c. 3. art. 2. Cartesius de Passionibus P. II. art. 91. Hardkopffius Dispp. Pract. Disp. 3. p. 48 alii- que. Ut nihil dicamus de variis titulis, quibus pro ratione bonitatis aut malitatis, si liceat ita loqui, insignitur, cum vocatur naturæ Filia; vitæ fibula, cujus beneficio anima diuturnam in corpore mansionem sustineat; Regum, Populorum ac Sapientum amica; Bonorum Summa ac cœli incola. Vid. Magiri Florilegium ad voc. Voluptas.

§. III. Convenit Voluptas juxta Piccolomineum l. c. vel *natura simplici, vel mixta; Simplici ut DEO*, ubi denotatur intrinseca & Essentialis perfectio, uti Theologi passim affirmant, vid. Prov. VIII. 31. Plato in Philebo p. 91. dicens: *Absurdum esse, DEOS gaudere vel tristari*, vi suæ hypotheseos aliter statuere non potuit. Prius enim dixerat, *Virum contemplationi deditum nihil ulla ex parte vel gaudere vel angere*; Jam ergo à minori ad majus concludit, si Vir prudens ac contemplationum studiosus non movetur ulla ex parte, neque ad gaudium neque ad tristitiam, multo minus movebitur sapientissimum illud ac Summum Ens, adeoque tandem concludit: Absurdum esse DEOS gaudere; Posset tamen aliquo modo explicari Plato, si diceremus, eum locutum esse de Voluptatibus corporis crassis, siquidem ipse Plato Dialogo IX. de Republ. p. 649. Voluptates ad tres animæ partes dividens, dicit: *Partem unam Voluptatis dicimus, quæ homo discit, hancque vocat Philosophicam, aliisque in locis verissimam, suavissimam omnium, hominibus maxime propriam*. Aristoteles lib. 7. ad Nicomach. cap. ult. Voluptatem DEO tribuit, dicens: *DEO Voluptatem competere, ac una & simplici semper voluptate potiri*. Qualis autem hæc sit voluptas DEO attributa & in quo consistat, gentiles Philosophi adeo penetrare non potuerunt, ut potius Christiani ex verbo DEI eam solide agnoscant, quæ ad scholas Theologorum remittimus. Convenit deinde juxta Pic-

Pic-

Piccolomineum voluptas *natura mixta*, ut jumentis, feris & homini; Bruta quod attinet certum est Scaligeri Effatum Exercit. 274. *Omnis Apollo in universa natura sua pulsat Citbaram, id est, omne genus animantium suis heret voluptatibus.* Homines quod concernit, extra omnem dubitationis aleam positum est, eos suas habere voluptates, quæq; nobis hic potissimum considerandæ veniunt.

§. IV. Atque in hac applicatione sumitur vocabulum Voluptatis vel *Generaliter*, quatenus notat inseparabile quoddam Symptoma Energix vel sensus vel intellectus, quod ex Sympathia Facultatis cum objecto oritur. Consentit Piccolomineus grad. I. c. 21. dicens: *Statim quod objectum à veritate imaginandi concipitur sub ratione boni & jucundi, ac ad illud excitatur appetitio, nos quadam delectatione per objectum in esse cognitio afficimur, quæ per spem crescit, & in adeptione externi objecti perficitur.* Sic sensus ex objecto congruente sensili, intellectus ex intelligibili suaviter afficitur; Sic aspiciens pulcherrimam florem voluptate permulcetur; aspiciens formosissimam foeminam delectatur: Quæ voluptas in nuda complacentia formæ consistens, nisi conjuncta sit cum appetitu prosequendi & concupiscendi, non poterit esse vitium, quamvis à nuda complacentia ad appetitum concupiscendi proclivis sit lapsus. Hac ratione explicari poterit Philosophorum effatum: Voluptatem & dolorem esse quasi duo genera & fontes omnium affectuum specialium, imo & ipsarum actionum origines; Acceperunt scil. Vocabulum voluptatis in sensu laxiori, quatenus ut dictum, congruentiam objecti cum sensu vel intellectu indicat. Nec enim illud facile nos movebit, quod sensu vel intellectu non percipimus; Nec actiones facile finem propositum obtinebunt, nisi voluptas nos proclives ad agendum faciat. Vid: Plato Lib. 4. de Republ. Gualterus Donaldsonus Synops. Philos. Moral. Lib. 2. c. 7. p. 117. seq.

2. Sumitur vocabulum Voluptatis *specialiter*, quatenus non nudam complacentiam objecti significat, sed ulterius in intentione, prosecutione & adeptione rei convenientis posita est. Qua ratione voluptas & dolor Philosophis dicuntur perpetui comites pertur-

bationum & affectuum Vid. Aristotel. 2. Rhetor. & 2. Moral. Nicom. c. 3. & 5. Piccolomineus Grad. l. c. 16. Imo fieri interdum ex Informatione Philosophorum edocti sumus, ut & dolor & voluptas successive in uno eodemq; affectu inveniantur e.g. In affectu iræ se nobis ostendit dolor propter illatam injuriam conceptus, ac deinde voluptas ex ipsa ultione, aut solum spe & desiderio ulciscendi suborta. Quia quod nonnulli Philosophorum voluptates quasdam inter affectiones animæ numerent, nomineque gaudii ac lætitiæ producant. Inter quos est Lælius de noscend. & emend: animi affectibus p. 216. & Cartesius de Passionibus P. II. artic. 91. Quibus contrariantur Aristoteles, perturbationes definiens esse eas, quas voluptas sequatur aut dolor. Piccolomineus grad. l. c. 16. Meisnerus l. c. p. 265. Durrius Instit. Ethic. P. III. Sect. I. c. 6. p. 133. Jacobus Thomafius Philos. Pract. Tab. 30. aliique, quorum rationes adducere pagellarum angustia prohibet, mittamus igitur hanc, aliasque controversias Philosophorum. (3) Sumitur vocabulum Voluptatis *specialissime* pro delectatione ea, quæ vel contemplatione rerum & actionibus virtuosis producit, quæque voluptas animi & honesta vocatur, adeoque secundum posterius membrum Philosophis Summi Boni Consequens & Effectum immediatum recte appellatur; vel ex actione sensuum, visus, auditus &c. percipitur, & speciali nomine voluptas corporis & sensuum audit.

§. V. Voluptas quæ generaliter ita accipitur, non differt specie ab illa, quæ specialiter sic dicitur, sed secundum Piccolomineum Grad. l. c. 16. tantum differt per magis & minus sive purius & impurius, sicut prius & posterius. Succinit Aristoteles IX. Eth. 9. scribens: *Videtur benevolentia principium amicitiae esse, sicut amoris, voluptas, quæ ex aspectu percipitur. Nemo enim amat, nisi forma spectator fuerit. Qui vero forma delectatur, non statim amat, sed quando & absentem desiderat, & presentiam expetit.* Illa quæ specialissime ita dicitur, differentiam aliquam specificam inter voluptates corporis & animi insinuare videtur. Vid: Heideri Philos. Mor. P. II. p. 953. Zapfius Tractat.

stat. distinct. p. 101. Durrius l. c. p. 415. Imo si speciatim consideremus voluptates corporis patebit & eas specie inter se differre, tam ex diversis operationibus, quam ex ipsa praxi; Sic videmus voluptates à diversis actionibus provenientes sibi invicem esse impedimento. e. g. Qui tibia canenti attendit, prohibetur ab auscultatione orationis, quæ ab alio tunc habetur. Quin quod suavior atque jucundior voluptas alteram elidere soleat, sic nonnulli præ amore in Musicam impediuntur à visu florum amoenissimorum, à gustu cibi delicatissimi, adeo ut præ ingenti voluptate, quam ex Musices concentu capiunt, nihil aliud attendant, imo ægre ferant, si etiam ab amicissimis hominibus in hac impediuntur voluptate. Nostrum igitur erit pro præsentis ratione prius in genere Voluptatem describere potius quam definire, cum omnia accurata definitione includere difficillimum sane sit & fere impossibile, ac deinde ulteriorem considerationem specierum, animi scilicet & corporis voluptatum instituere.

§. VI. Igitur, si voluptatem definire velimus omni studio disquirendum erit, in quo omnes voluptates conveniant. Scaligerum subtilitatum Indagatorem felicissimum & Philosophum accuratissimum, (quo elogio a quodam Viro æque Doctissimo ac Celeberrimo maectatur) audire liceat, qui Exercit: 299. quorundam profert definitionem, scilicet *Voluptatem esse rem convenientem affectibus animæ*, quam tamen minus accuratam esse judicans rejicit, atque addit: *Esse potius perceptionem rei convenientis*; Non tamen acquiescit in sua definitione, sed ipsam rationem formalem perpendens potius dicendum esse affirmat: *Voluptatem esse fruitionem perceptionis*. Nos paucis mutatis hancce proponimus definitionem: *Voluptas est sva-vis quadam motio ex rei convenientis perceptione ac adeptione proveniens*.

§. VII. Circa cujus definitionis explicationem notandum erit, vocem motionis in quadam latitudine interdum accipi, ita ut non æque semper omnia attributa motus physici in se contineat, sumitur enim vel in specie pro successione à progressu formæ imperfectæ ad
per

perfectionem, quo sensu voluptatem motum esse Aristoteles negat X. Eth. 4.; Vel in genere, quatenus est subjecti quædam mutatio & affectio sive sit subita sive lenta, quo sensu Aristoteles Voluptatem vocat motum I. Rhetor. II. & Azorius Tom. I. Instit. Moral. l. 3. c. 10. quæst. 2. latius explicat. Nos in definitione proposita Voluptatem vocantes motionem, non illam, sed hanc intellectam volumus, quod claritate sua radiat; Quilibet enim re sibi conveniente fruens suaviter afficitur, movetur à tristitia ad gaudium & delectationem, suavis autem vocatur motio in oppositione ad dolorem, qui etiam est motio quædam subjecti, sed acerba & subjecti corruptiva. Insuper nonnullis vocatur motio *subita & sensibilis* vid. Aristot. I. Rhet. II. & quidem *priori ratione* ad contradistinctionem actionum materialium, quæ tractum aliquem temporis requirunt; Voluptas enim eo ipso actu ac momento oritur, quo subjectum rem sibi convenientem possidet; *Sensibilis* audit generali acceptione vocis, quatenus idem est ac perceptibile, sive jam sensu sive mente percipiatur. Cujus autem motio sit, *an animæ an corporis?* Inter Philosophos disputari solet. Scaliger Exercit. 299. putat esse dicendum affectum *totius compositi*. Alii à nobiliori potius denominationem fieri debere autumantes, *motionem animæ non activam sed passivam* vocant, cum voluptate moveatur animal & afficiatur.

§. VIII. Formalis ratio voluptatis in ipsa perceptione ac adeptione rei convenientis posita est, quam alii ita exprimunt: Esse motionem in statu naturæ conveniente Aristot. I. Rhet. II. Ubicunque enim est talis constitutio, ibi est voluptas aliqua. Sicut dolor est naturæ adversus, sic voluptas eam ponit in statu congruo, suaviter afficit & perficit, quo factum ut nonnulli ipsam definitionem Voluptatis ex perfectione operationis non impeditæ secundum naturam adornaverint. Consistit igitur Voluptas non in sola convenientia objecti, nisi generali acceptione vocis, sed in ipsa perceptione ac adeptione rei convenientis, quando enim ipso actu fruor re conveniente, tunc afficior voluptate; Adeoque ad Voluptatem tria requi-
run-

runtur 1. Bonum Volupe, sive res conveniens. 2. Conjunctio Voluptate afficiens 3. Ipsa cognitio hujus conjunctionis. Vid. Meisnerus l.c. p. 273. Lælius l.c. p. 220.

§. IX. Causa Voluptatis Efficiens proprie sic dicta est res conveniens, quæ sicut actionem creat, ita etiam ejusdem comitem inseparabilem puta Voluptatem, Causa enim causæ est etiam causa causati. Quomodo autem objecta externa, in quorum numero res convenientes positæ sunt, agant in sensuum organa, Physici demonstrarunt, vid. Cartesius de Passionibus P. I. art. 12. Wülfferus Compend. Physic. p. 331. seqq. Cæterum plura sunt, quæ rerum convenientium nomine veniunt, adeoque Voluptatis causæ esse possunt; Sic non solum actio secundum naturæ propensionem adornata voluptatem creat, ut antea monitum, sed etiam actio sponte suscepta, quæ, sicuti naturæ est conveniens, utpote quæ à coactione & vi abhorret, Voluptatem habet: Sic laborum remissiones, Vacationes, Otia, Iudi, somni in svavibus numerantur: Sic memoria præteritorum bonorū & recordatio malorū, item cogitatio futurorum delectationem affert, Quamvis n. Voluptas semper debeat esse de re præsentis, memoria autē & recordatio sint de absentis, nihilominus tn. Memoria rerum absentium non sine Voluptate est; Cum aliquid nobis præsens dicatur vel ratione ipsius rei vel ratione cognitionis s. *κατὰ γνῶσιν*, memoria autem secundum cognitionem præterita sibi proponit ac si præsentia essent, *Memoria enim recollit perceptionem* ut inquit Scaliger Exercit. 299, quod ulterius exemplo illustrat à svavitate vini desumpto. Eadem ratione cogitatio futurorum bonorum delectationem affert, cum quis sibi futura tanquam præsentia imaginetur; Recordatio autem malorum, si quid boni inde advenit, summam excuscitat voluptatem, ut & consideratio, quam locupletissima illa mala fuerint, & quam inopinato liberatus fueris. *Quanto enim magis fuit periculum in prælio, tanto magis erit jaudium in triumpho*, inquit Augustinus L. 8. de Conf. c. 3. Et si quæ aliæ adsunt causæ, quas longa serie attulit doctissimus Lælius l.c. quæque deinde speciatim consideranda sunt in speciali de Voluptate animi & corporis tractatione.

B

X. §.

§.X. Effectus Voluptatis si spectes, non sive voluptate multos experieris; Non diffusionem Sangvinis tantum, qui ob præsentiam rei jucundæ expanditur ad partes externas, quasi rem charam acceptamque suavissime amplexurus; Nec ruborem oris tantum, qui ex illa diffusionem Sangvinis oritur; Sed quod jucundissimum ipsam sanitatem, siquidem moderata Sangvinis commotio sanitatem maxime juvat, ob exercitationem & agitationem spiritum, deinde Voluptas sanitati prodest per Intercapedinem molestiæ, atque animi corporisque requiem. Consentunt hinc Medici, in ægritudine animi nimis ac diutius retenta parum aut nihil Medicamenta prodesse, spiritum tristem exsiccare ossa, è contrario lætum cor pro Medicina optima esse. Quid quod Voluptas dulcedine sua homines impellat, ut instant operi ac semel suscepta ad exitum deducant; Quamvis enim actiones non sint suspiciendæ propter jucundum, sed potissimum propter honestum, omnes tamen actiones honestæ jucunditatem sibi conjunctam habent. Ut nihil dicamus de Lætitia, Hilaritate, risu &c.

§.XI. Ad finem Voluptatis tandem procedendum, quem Scaliger Exercit. 299. ex triplici hominis & humanarum actionum fine, triplicem ponit, inquit: *Tertia Voluptatis definitio est à fine. Is cum sit hominis triplex: tot idem modis Voluptas intelligitur. Primus est individui conservatio. Secundus perfectio partis potioris i.e. animi. Tertius conservatio speciei. Propter primum data sunt a natura Voluptates sensuum, atque imprimis gustus. Propter secundum creata est ab eodem opifice intellectio cujus finis beatitudo, ad quam sapientia via est. Propter tertium parata est delectatio, quam ciet Venus. Conf. Piccolomineus grad. 9. c. 19.*

§. XII. Dividitur autem voluptas specialiter in voluptatem animi & corporis, adeoque promissis standum, ac de utraque, quantum ratio pagellarum permittet, tractandum erit, Et quidem quod voluptatem animi concernit, sciendum est: *Eam esse suavem quandam motionem ex actionibus intellectus subortam; Quo simul innuitur, voluptatem animi nobiliorem esse corporis voluptate.* Dignitas enim

enim

enim earum aestimanda est ex dignitate actionū, voluptas n. sequitur actionem; actionū autē dignitas dependet a dignitate facultatis, cum vero mens nobilior sit sensibus, ipsa quoque voluptas mentis nobilior erit voluptate corporis; deinde functiones mentis magis nos conjungunt rebus amatis, quam functiones sensuum, tangunt n. rem ipsam; at sensus feruntur in externa, ut colorem & saporem. Summam autem voluptatem animi in contemplatione positam esse, nemo negabit. *Quanta enim & quam incredibile est vere contemplativum voluptas? qui relicto hoc gyro fluentis & refluxis fortuna, se totos in studio tam divinae beatitudinis abdiderunt, uti Casus loquitur l. 10. Speculi c. 4. Si consulamus Platonem, in Philebo, vitam contemplationis ceterarum omnium divinissimam vocabit. Consentit Aristoteles X. Ethic. VII. Nulla autem nobilior, major & purior voluptas datur, quam quae oritur ex contemplatione objecti nobilissimi, quod est Deus. Audiamus Plutarchum contra Coloten. dicentem: Plurimum sincere voluptatis capiunt, quibus verus de Deo sensus, nempe Deum omnis boni esse autorem & principem, omnium, quae praeclara usquam sunt, parentem, cui fas non sit mali quicquam perpetrare & ne perpeti quidem. Si ulterius pergamus, quam locupletissimus patet campus in contemplatione Juris tam civilis quam canonici, Gentium ac Naturae: In Medicina contemplatio tot Spirituum, quos Chymici creant, herbarum, omnium partium humani corporis, & quaecumque alia insigni voluptate se manifestantia. Ut nihil dicamus de scientiis Philosophicis, Physica, Metaphysica, Mathesi, Ethica, Politica &c. In quarum contemplatione Musae gaudent. Et certe nisi literae tantam afferrent jucunditatem, quis quaso illis operam daret? Lætatur porro Vir prudens in conscientia recte factorum & actione virtuosa. Est enim conscientia recte cogitatorum, dictorum & factorum indubitata notitia & recordatio, ejusque actus in excusando & exhilarando consistunt; Quatuor scilicet ejus proprietates afferuntur 1. Testimonium de Innocentia. Ipsa enim testatur de rebus gestis, neque unice, sed simul cum aliis, cum Deo, intelligentiis, aliisque hominibus de seipso testimonium perhibet, hinc dicitur*

B 2

conscien-

conscientia, quasi cum alio scientia, sive scientia actorum pluribus
 sciorum & cognitorum, quamvis hoc aliorum testimonio non in-
 digeat, cum ipsa sit iustar mille testium. Recte hinc Lipsius Cent. I.
 Epist. 77. *Mibi sententia de me non nisi apud me fertur, nec, quis sim, a-
 lium rogo. Interno ipso iudice, si probus audiam, quid addent aut de-
 ment mibi hi sermones?* (2) *Excusatio*, qua rem bene factam esse statu-
 it, quam excusationem vir probus non eodem semper & ubique vigore in
 se sentit; Sed qua pro diversitate adversariorum, periculorum, calami-
 tatum, magis minusve perceptibilis est, monente Zapfio Tract. Dist.
 Phil. Mor. p. 83. (3) *Absolutio*, qua aliquem à culpa & consequenter et-
 iam à pœna liberum esse pronunciat. Sicut enim conscientia mala non
 sinit homines rectis oculis quæquam aspiciere: Nec expedit a verba pro-
 ferre: Ab omni etiam hominum coetu eos exterminat & dormientes per-
 terrefacit; Ita è contrario Conscientia recte factorum virum ad omnia
 sacramittit, per omnes vias, per omnia DEorum templa, ad omnes ho-
 minum species: Et plaudens, canensque ipsum ubique laudat: Dormien-
 si quoque eidem assistit, praeclarum chorum è somniorum domo illi cir-
 cumponit, ut inquit Philostratus L. 7. *Vita Apollonii* (4) *Solatio*, ne
 homo prorsus deficiat, dum mala patitur vel in iuste premitur. Qui
 enim bene sibi conscius est, fiducialiter & magnanimiter agit: Quem ad-
 modum, si quis infuso oleo addat lumen lucernæ: Sic ille consideratione
 operum suorum semetipsum confortat & fidei suæ audaciam addit, dicen-
 te Chrysostomo Homil. LII. in Math. 25. Sic testimonio de innocentia
 cordis anxietas repellitur; Solatio Voluptas vires sumit; Absolutio-
 ne & excusatione plena redditur. Nec minorem voluptatem affe-
 runt actiones virtuosæ, Si enim summum Bonum est θεός, δοτόν καὶ
 εὖιον I. Eth. 9. & τίμον I. Eth. 12. patet, illud Voluptate non carere;
 Quid enim animum magis exhilararet, quam quod divinitus datum
 ac verè divinum, quodque honorabile est? Jam autem summum Bo-
 num consensu Philosophorum consistit in actione virtuosæ, adeoque;
 hinc indivulso nexu conjunctam habet & conscientiam bonam &
 voluptatem honestam. Quidquid enim bonum est, illud bonitate
 sua

sua hominem suaviter afficit : Sic Volupe est fortem esse, libera-
lem, temperantem, benignum, justum &c. sic, si relictis actionibus
intellectus practici, ulterius progrediamur ad adeptionem rerum
utilium, necessarium, jucundarum : Si ad effectiones & opera
Artificum, Opificum & Mechanicorum: Si consideremus conver-
sationes & colloquia amicorum: Quanta ex singulis procedit Vo-
luptas! Sic lætantur Parentes in consecutione liberorum, eorum-
que natali: Liberi in prospera Parentum valetudine: Artifex in
arte sua: Mechanicus in opere suo summa cum industria atque fe-
licitate perfecto: Vir probus in amicitia confirmata, Nil eque ob-
lectaverit animum, inquit Seneca de Tranquillitate: c. 7. *Quam amicitia
fidelis & dulcis. Quantum bonum est, ubi sunt preparata pectora,
in qua tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus-
quam tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia con-
siliium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet.*
Et si quæ alia sunt, ex quibus Voluptas animi suboriri poterit, quæ
ob pagellarum angustiam adduci nequeunt.

§. XIII. Cæterum dantur voluptates quædam animi inuti-
les & superflue, ex quibus nullus homini fructus accedit, quæ qui-
dem omnes non perniciosæ, futiles tamen & supervaneæ, nulliusque
in Rep. usus sunt. Sic nota ad ludibrium usque est voluptas Do-
mitiani ex muscarum compunctione orta: Sic Artaxerxes lectica
vectus voluptatem capiebat ex buxeis cultellorum manubris fa-
ciendis, aliisque minutis operibus. Sic non nemo pulicem ca-
tena argentea alligavit, inque hoc suo artificio Voluptatem quæ-
sivit summam. Sic memorante Lælio Iphiclus didicit super triti-
ceas aristas currere. Lib. 3. Antiquar: Lætion. c. 5. Sic Myrmecidas
Milesius & Callicrates Lacedæmonius olim quadrigas fecere, quæ
sub alis Muscæ possent abscondi, & Sesamo literis aureis distichon
inscribere. Referrihuc possunt variæ gesticulationes funambu-
lonum, & circulatorum, qui ex hisce summam se percipere Vo-
luptatem ingenuè fatentur.

§. XIV. Parum autem homines voluptates animi, quæ ex
contemplatione rerum & actione virtuosæ oriuntur, sectantur,
ut potius suavissimo amplexu arripiant voluptates corporis, idque

Potissimum ex lapsu Protoplastorum, qui homines ita corrumpit, ut, quamvis habeant alas mentis, quibus suas cogitationes sursum movere possent, attamen semper deorsum cadant, somniantes, plus voluptatis percipi in sensu, quam in mente; plus in aureo fortune stercore, quam in splendido virtutis stadio; plus denique in Ventris palastra, quam in vera felicitatis arce & palatio, ubi Casus loquitur l. 10. Speculi c. 4. p. 640. Consentunt gentiles Philosophi originem hujus rei allegantes Ignorantiam dulcedinis verarum Voluptatum, autumantes hinc fieri, ut homines umbram pro corpore, speciem delectationis falsæ pro vera accipiant, in quo errore juventur & exemplis aliorum & Medicina doloris; Cum enim natura fugiat dolorem, Voluptates autem corporis tollant & diminuant dolores, adeoque sint quasi Medicina doloris, inde fieri, ut magis appetantur Voluptates corporis quam animi: Accedere & hoc, quod voluptates corporis pluribus notæ sint, cum sine voluptate corporis nec species augeantur nec conservetur vita, & si quæ alia sunt Philosophorum momenta, quibus hic inharere longum esset.

§. XV. Restat igitur *Voluptas corporis* consideranda, quæ est *suavis quadam motio ex actionibus sensuum suborta*, quæque Corporis Voluptas dicitur ab organis corporeis, quibus sensus externi tanquam Ministris indigent, sic auditus indiget organo aurium: Visus oculorum: Olfactus narium: Gustus Palati: Tactus manuum, aliarumque corporis partium organis. Variant autem hæ corporis voluptates pro diversitate sensuum, ut aliis aliæ sint digniores; sic Voluptates visus, auditus & olfactus excellentiores sunt voluptatibus tactus & Gustus, ad animum enim magis referuntur, adeoque soli homini propriæ sunt; Quamquam enim & in bruta cadant, id tamen tantum fit ex accidenti, quatenus respectus habetur ad pabulum & Venerem. Hinc Lactantius Lib. 6. de vero cultu; *Cætera animantes præter unam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam sentiunt. Uruntur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatem. Vident, ut appetant ea, quibus opus est ad vitam tuendam. Audiunt invicem seque dignoscunt, ut possint congregari. Quæ utilia sunt ad victum, aut ex odore inveniunt, aut ex sapore*

sapore percipiunt; Inutilia respiciunt aut recusant. Interea non ad
eo vituperanda sunt hæ corporis voluptates, si rite usurpentur.
Conf. Aristotelis luculenta verba III. Eth. X. Quomodo autem tur-
pes fiant, ostendit Scaliger Exercit. 299. scribens: Si aliorum spe-
ctet potus, quam ad liquefactionem, attenuationem, lubricationem,
delationem cibi, succive suapte natura crassioris, ex suis exit finibus,
neq; amplius est Voluptas Et paulo post: Satis patet differentia in-
ter eam venerem, quæ liberos quærit: Et quæ nescio quid coeni obligu-
rit animo. Ut adeo, si non attendatur genuinus voluptatum fi-
nis, peccetur, atq; ex re alias bona, quamq; gentiles pro Dea ha-
buerunt, fiat vitium horrendum.

§ XVI. Ne autem hoc eveniat, allaborat *Temperantia*, virtus qua
juxta Pythagoræ effatum, principem locum inter virtutes tenet, de qua
Plato graviter scripsit: Maximopere nobis conduceret, si temperantes esse-
mus. Nam sine peccato viveremus. Et qui hanc habet, facilius discet, quic-
quid discit, & omnia ipsi evidentiora apparebunt. Hinc & vocatur
Promptuarium & *penu virtutis*. Consistit autem forma & officium *Tem-
perantiæ* in eo, ut homines doceat, illicitas & immoderatas voluptates a-
versari, absentiam licitarum non impatientius ferre, presentibus vero sic uti,
ut ubique honestatis & decori ratio habeatur, dicente Clarissimo Durrio
Institut. Eth. P. III. Sect. 2. c. 2. p. 165. adeoque quasi præscribit quantita-
tem cibi & potus, quæ tanta & talis esse debet, quantum refectio viri-
um postulat & Conservatio vitæ, quæque docet, abstinendum esse à
tali cibo & potu, quo turpium voluptatum flammæ magis magisque
excitantur, ut sunt lauta & delicata obsonia, condimenta atque potu-
lenta, fortia vina, aromata nimia &c. Quamquam enim *Temperantia*
non prorsus cohibeat homines ab usu delicati atque probe conditi
cibi, neque adeo inimica sit illorum hominum, qui in diebus solenni-
bus, nuptiis &c. quæ hilaria movent, paulo plus indulgeant gulæ; At-
tamen semper omne nimium respuit, utpote quod rationem sanam
funditus deprimat, quæ tamen affectibus imperare debebat. Monet
deinde *temperantia* in cibo & potu rationem habendam esse loci &
temporis, ut magis in ædibus privatis, quam in publico & propatu-
lo famem ac sitim expleamus, nec tempus Sacris, aliisque negotiis di-
catum, Baccho & Cereri tribuamus. Circa veneris usum *Temperantia*
monet, tunc gemino nomine *Castitas* appellata, in Matrimonio ubiq;
respi-

respicendum esse finem principalem Matrimonii, Procreationem, scilicet ac Educationem Sobolis, ac hominibus intra limites conjugii manendum esse. Extra conjugium omnem Veneris usum prohibet, ac docet, oculos, aures, manus, sermones ac omnes corporis gestus ita componendos esse, ne lædatur Castitas, & vel in nobis vel in aliis incendatur desiderium Voluptatum impurissimarum. Oculorum autem, narium & aurium moderamen non suscipit Temperantia; Nemo enim, qui ex visu, auditu & odoratu Voluptatem percipit, proprie Temperans, aut Intemperans vocatur, teste Aristotele III. Eth. X., nisi ex accidenti, si nimirum ingerunt cupiditatem Voluptatis, quæ gustu tactuque percipitur & eam exstimulat; Hinc oculi sunt in amore duces, obscœni sermones, atque cantiones amatoriarum libidines excitant, & odoribus ciborum appetitus acuitur. Si autem Virtus quædam afferri deberet, quæ hisce aurium, narium ac oculorum voluptatibus modum præscriberet, meo iudicio esset Continentia generali nomine sic dicta.

§ XVII. Suis adeo contenta finibus divina res est Voluptas, ab ipso DEO naturæ indita, quæque conducit ad emolumentum totius generis humani. Cum vero Temperantiæ Dominium & regulas respuit, Diabolica res est. Non enim DEO servit, sed diabolo. *DEUS Voluptuosorum venter est, pulmo templum, aqualiculus altare, Cœquus Sacerdos, Eorum tota Charitas in cacabis fervet, tota fides in culinis calet, tota spes in cerviculis jacet,* ut inquit Tertullianus libro contra Psychicos. Voluptas luxuriosa & carnalis, homines bestiis similes reddit, mentem corrumpit, rationem turbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, ignorantiam inducit, oblivionem immittit, errores infundit, omnes honestas actiones impedit, hominemque ad officia publica reddit incapacem. Conf. Scultetus Lib. I Eth. c. 15. p. 46. ut adeo, teste Valerio Max. Lib. 9. c. 1 *luxuria & libidinis vitii nihil fœdus, nihil damnosius sit, quippe quibus virtus atteritur, victoria langvescens, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter ac corporis vires expugnantur.*

§ XVIII. Cavet igitur Vir prudens atque probus, ne ab hisce capiatur Voluptatibus, sed iis utitur duce recta ratione, quæ modum ostendit, quomodo vivendum, ne adveniat vitium. Talem requirit voluptatem, qualem pedes sequam suam esse non dedignetur Virtus, Voluptates corporis æstimat, antequam admittat, *delectatur nec afficitur*, ut de Spurrinna loquitur Plinius Epist. I. lib. 3. Si autem fortassis advenerit aliquid vitii, Voluptatem, quæ illum cepit, iterum captivat, ac sensus exorbitantes in ordinem redigit. Quæ pro præsentis ratione de Voluptate sufficienter, cum pagellarum angustia impedimento sit, ulteriorem ejus anatomen instituere. S. D. G.

Coll. diss. A. 45, misc. 16